

dens primum probatur, quia bonum et malum per se ad voluntatem pertinent, sicut verum et falsum ad rationem, ubi discursus D. Thomæ manifeste loquitur de specie essentiali, et substantiali actus voluntatis, nam si loqueretur de accidentali non bene inferret ex eo quod per se pertinent bonum et malum ad voluntatem, et per se sunt differentie ejus, quod bonum et malum sunt differentes secundum speciem, et quod id desumitur ab objecto, et se habent sicut verum et falsum in ratione, quia si solum præbent differentias accidentales, non potest probare quod differunt specie ex objecto, quia accidentales differentie actuum non est necesse quod sumantur ex objectis. Nec se habent tunc sicut verum et falsum in ratione, quia si verum et falsum sumatur fundamentaliter, sic constituit differentiam specificam, substantialem, et essentialem, non accidentalem, sicut bonum et malum morale; si autem verum et falsum sumatur formaliter, falsum est per se comparari ad rationem, et tamquam differentias essentielles, cum eadem propositio possit modo esse vera modo falsa, ut dicitur in capite de substantia.

XXXVI. Nos ergo respondemus juxta explicationem S. Thomæ in solutione ad tertium, quod loquitur quidem in corpore articuli et consequentiis quas facit de differentiis per se constituentibus essentialem speciem in sua linea et ordine; sed in primo antecedente quando dicit, quod bonum et malum sunt per se differentie actus voluntatis, loquitur de actu voluntatis, ut regulato et subjecto rationi, non absolute et entitative tantum considerato, actus autem sic subjectus regulis rationis jam pertinet ad lineam moralem. Et in ista linea currunt efficaciter omnes consequentie sic: Bo-

num et malum per se, id est, specificæ, et per se in primo modo pertinent ad actum voluntatis, ut regulis rationis subjectus, sicut verum et falsum (non formaliter, sed fundamentaliter et objective) pertinent ad rationem, ergo voluntas bona et mala sunt actus differentes secundum speciem, scilicet secundum speciem essentialem actus in linea morali, seu in linea regulati a ratione, specifica autem differentia sumitur pernes objecta etiam in regulatione rationis, ergo ab objecto sumitur bonum, et malum in actibus voluntatis. Totus discursus est legitimus, et solum restat probare, quod S. Thomas in illo primo antecedente loquatur de actu voluntatis, ut regulato, et non absolute sumpto, et quod specifica differentia etiam in morali regulatione sumitur ab objecto. Hoc autem constat ex argumento tertio illius articuli et solutione ejus. Proponit D. Thomas argumentum sic: Objectum voluntatis est bonum bonitate naturæ, ergo non potest præstare voluntati bonitatem moralem, ergo non dependet moralis bonitas voluntatis ab objecto. Respondet: « Ad tertium dicendum, quod bonum per rationem representatur voluntati ut objectum, et in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in voluntate. » Ecce utrumque complectitur D. Thomas et quod differentia moralis sumitur ex objecto, scilicet ut proposito per rationem, et in quantum cadit sub ordine rationis, quod est esse regulatum ab illa, et quod sic pertinet ad genus moris et causat bonitatem moralem in illa, loquitur ergo de voluntate non absolute, et in esse naturæ entitativo, sed ut cadit sub ordine rationis, id est, ut regulatur ab illa.

XXXVII. Minorem difficultatem habet locus, qui citatur ex secundo

sententiarum distinct. XL, quæstione unica, articulo primo, quia ibi D. Thomas non intendit, quod bonum, et malum sint differentie essentielles absolute, et in genere entitativo, sed in genere moris, ut ibi dicit in corpore et ad quintum. Sed ponit hanc differentiam inter actus elicitos a voluntate, et reliquis potentiis, quæ imperantur a voluntate, quod actus istarum sunt per accidens in genere moris, id est, non ut eliciuntur ab illis potentiis, sed ut imperantur a voluntate, actus autem voluntatis per se, et immediate, quia voluntarii sunt, in genere moris sunt, id est, regulis morum subjiciuntur. Et ideo differentie sunt illis essentielles in hoc genere moris, quod immediate, et non ex imperio alterius potentie liberæ convenit. Si tamen discernamus inter id quod actionis naturæ est in illo actu, et quod moris est, tales differentie non sunt essentielles actioni, ut natura est, sed ut moris est, ut ibidem solutione ad primum significat S. Thomas.

#### ARTICULUS II.

*An recte explicaverit D. Thomas principium, ex quibus sumitur bonitas actus interioris, scilicet ex objecto, ex ratione, ex lege æterna, ex intentione, ex voluntate divina?*

I. Difficultates aliquæ se offerunt circa ea, quæ D. Thomas in his articulis quæstionis XIX tractat circa ea quæ sunt principia bonitatis, vel malitiæ in actibus interioribus, quæ omnia principia colligimus in hoc articulo, ut melius explicari omnia possint. Et sunt quinque scilicet, objectum, quod in actu interiori concidit cum fine: ratio, quæ est immediate proponens, et dirigens vo-

luntatem: lex æterna, quæ est regula prima secundum quam debet dirigi: intentio, quæ est principium influens in alios actus ex intentione secutos, sive sint circa finem, sive circa media: voluntas divina, cui debemus subjici, et conformari.

QUA RATIONE DICATUR BONITATEM, ET MALITIAM ACTUS INTERIORIS NON DEPENDERE A CIRCUMSTANTIIS, SED AB OBJECTO?

II. Ista propositio est D. Thomæ in hac quæstione XIX, articulo II, et difficilis visa est multis, in variasque expositiones distraxit auctores. Affirmat itaque D. Thomas bonitatem actus interioris dependere ex solo objecto. Et probatio ejus talis est. Principium bonitatis, et malitiæ humanorum actuum est ex actu voluntatis; ergo bonitas, et malitia in actu voluntatis attenditur secundum aliquid unum, licet in aliis actibus possit secundum plura, et diversa attendi. Patet consequentia, quia in quolibet genere quanto aliquid est prius, tanto est simplicius et in paucioribus consistens, sicut in genere corporis prima corpora sunt simplicia. Rursus illud primum quod est sic simplicius, seu principium in quolibet genere non est tale ex aliquo quod se habeat per accidens, sed per se, quia omne per accidens reducibile est ad aliud prius quod est per se; ergo talis bonitas, vel malitia in actu illo voluntatis non debet sumi ex aliquo principio accidentali bonitatis, sicut sunt circumstantiæ, sed ex principio per se, quod est objectum.

III. Difficultas in hac propositione est, quia falsum est non inveniri actum interiorem cum circumstantiis, præsertim cum supra dixerimus, nullum esse actum humanum qui non sit capax circumstantia-

rum, sicut omnis substantia accidentium. Nam etsi actus interior voluntatis, qui versatur circa finem non possit habere pro circumstantia ipsum finem, sed pro objecto, quia objectum illius actus finis est, tamen alias circumstantias non apparet cur non possit habere, verbi gratia circumstantiam quis, quæ est circumstantia personæ operantis, et circumstantiam quando, id est, in duratione, et tempore, quo aliquis exercet illum actum internum, ut si sit in tempore quo currit, vel non currit præceptum de alio: et similiter circumstantiam, quomodo quia potest esse intensior, vel remissior, et sic de aliis. Et inde multiplicari possunt argumenta adducendo diversa exempla ad ostendendum dari actum interiorem cum circumstantiis, verbi gratia, quia actus interior voluntatis, ut amor, potest esse magis, vel minus intensus, et inde sumere majorem bonitatem, vel malitiam, cum tamen intensio non sit substantia, sed circumstantia. Item ex parte temporis, ut si quis tempore quo currit præceptum amandi Deum se exerceat in amore alterius objecti, redditur malus ex circumstantia ille actus: ex parte personæ, ut si clericus, vel monachus velit matrimonium, vel venationem a jure prohibitam, quæ laico prohibita non est, ille peccat ex circumstantia personæ, non iste. Et sic multa alia exempla possunt multiplicari, quæ eandem continent difficultatem.

IV. Jam vero si nomine actus interioris intelligamus non solum illum qui versatur circa finem, et est intentio, sed etiam qui versatur circa media, et est electio, multo certius est in eo inveniri bonitatem, vel malitiam ex circumstantiis etiam ex fine, tum, quia in isto non currit ratio D. Thomæ, quia licet sit actus interne, et immediate elicitus a

voluntate, et non ab alia potentia, tamen non est primus in hoc genere, cum supponat alium priorem, nempe actum intentionis, qui versatur erga finem, et inde movetur ad media, seu ad actum electionis; ergo in tali actu non est necesse, quod solum detur id quod est per se in præbenda bonitate, vel malitia, scilicet objectum, sed etiam potest attendi id quod est per accidens scilicet circumstantiæ. Unde videmus actum voluntatis posse esse in duplici specie, altera ex parte objecti, altera ex parte finis, ut cum quis eligit furari ut mœchetur, vel jejunare propter pœnitentiam, etc. D. Thomas q. xix, articulo primo sumit bonitatem, et malitiam non solum ex objecto, sed etiam circumstantiis; ergo non est dubium istos actus et si a voluntate elicitos non ex solo objecto illam habere.

V. Tandem urgeri potest contra discursum ipsum D. Thomæ, quia licet vera sit illa propositio, quod primum in unoquoque genere sit magis unum, et simplicius proportionaliter, ut postulat tale genus, tamen non potest recte inferri quod ita reducit illud prius ad unitatem, et simplicitatem, quod excludat omnia alia accidentia, et extrinsecas rationes, sicut licet in genere corporis prima corpora sint simpliciora, non tamen excludunt omne extrinsecum, habent enim accidentia, et alia extrinseca adjuncta, ut ignis habet calorem, levitatem, locum sursum, etc. Ergo similiter prima moralia, quæ sunt actus interiores voluntatis, habent quidem bonitatem, vel malitiam per se ex objecto, quod est principium per se, sed non debent excludere omnia accidentia, quæ sunt circumstantiæ.

VI. Nihilominus conclusio D. Thomæ est vera, et ratio ejus efficax. Et auctores qui D. Thomam interpretantur, fere reducuntur ad hoc, quod

quod non potest negari, quod actus interior habeat etiam suas circumstantias, ut argumenta, et exempla allata manifestant; sed dicunt quod circumstantiæ respectu actus interioris tenent se ex parte objecti voliti, nec videntur officium circumstantiæ exercere, sed rationem objecti, quia ut objectum eas respicit. Quod quidem quoad circumstantiam finis ego libenter admitterem, quia finis in actu interiori objectum est, tamen quoad alias circumstantias difficile valde videtur; quomodo enim actus amoris Dei habet circumstantiam personæ, aut durationis, vel intensionis magis pro objecto volito, quam amor eleemosynæ, vel jejunii, furti, vel adulterii, etc. Nam si dicatur velle ipsum amorem Dei, ut a tali persona eliciendum, etiam vult eleemosynam, vel jejunio a se faciendum, et tamen respectu hujus non dicitur illa circumstantia esse objectum volitum, ergo neque in actum amandi Deum.

VII. Item quia ut circumstantia personæ sit objectum volitum, oportet poni aliquam reflexionem actus supra se, et ut intensio, vel duratio sit objectum volitum oportet, quod ipse operans apprehendat ipsam durationem, vel intensionem actus, et sic illam velit, quod est etiam facere quamdam reflexionem super ipsum actum, quia habet pro objecto ipsos modos talis actus quales sunt duratio, et intensio. At potest aliquis elicere actum amoris Dei, ut finis ultimi, qui est actus maxime interior sine ulla reflexione, et sine speciali advertentia de duratione, vel intensione actus tamquam sic objectis, sed solum considerare pro objecto Deum, ea vero quæ tenent se ex parte actus non advertere tanquam objecta volita, sed in ipso exercitio ea ponere, sicut in aliis actibus. Quare ego non video rationem urgentem, quare circumstantiæ concomitantes

actum interiorem voluntatis debeant esse objectum volitum a tali actu, cum non oporteat quod supra se, vel supra modos, aut circumstantias suas reflectat, et in actu signato cognoscat.

VIII. Quod vero alii dicunt, quando D. Thomas dicit bonitatem actus interioris dependere ab objecto solo, loqui de bonitate essentiali, hoc est impertinens, quia hoc modo etiam bonitas cujuslibet actus exterioris dependet a solo objecto in bonitate essentiali, hæc enim est specifica, et specificatio a solo objecto sumitur. Alii dicunt loqui D. Thomam de actu simplici volitionis, quando dicit a solo objecto dependere ejus bonitatem. Cæterum constat ipsum etiam loqui de actu intentionis in articulo octavo. Et præterea etiam iste actus simplex non caret circumstantiis personæ, et durationis et intentionis, aliisque similibus, curruntque in eo eadem difficultates, quæ in actu intentionis, vel aliis actibus internis voluntatis.

IX. Quapropter relicis aliis solutionibus, veram et legitimam mentem D. Thomæ existimo esse quod loquitur in sensu valde formali; aliud est enim quod actus interior, seu actus intentionis, et finis possit habere bonitatem, vel malitiam ex circumstantiis, aliud quod propria, et formalis bonitas actus interioris, ut interioris sumatur etiam circumstantiis, an a solo objecto. Habet quidem actus interior aliquid moralitatis a circumstantiis, ut exempla allata probant, sed hoc est commune cum quocumque alio actu, sive interiori, sive exteriori: proprium autem, et per se actus interioris ut interior est illa bonitas, vel malitia, quæ ex objecto dependet, et sumitur. Et admittimus D. Thomam nomine actus interioris non solum intelligere illum, qui elicitur immediate a voluntate etiamsi sit electio,

vel alius actus circa finem, sed intelligere actum, qui est intentio, seu actus imperans, et nomine actus exterioris intelligit actum imperatum, et supponentem finem intentum. In hoc ergo actu interiori dicimus posse duplicem bonitatem, vel malitiam considerari, unam propriam, et per se actus interioris ut interior est, et hæc debet esse intenta, quia debet esse bonitas aliis actibus exterioribus communicabilis, et in hoc præcipue actus interior discernitur ab exteriori quia interior imperat, et dirigit exteriorem, sicque habet bonitatem illi communicabilem, et hanc vocamus propriam, et per se actus interioris, scilicet illam quæ superior est, et imperare potest, atque in alterum derivari, et communicari. Alia bonitas, vel malitia est ex ipso exercitio actus proveniens, ipsumque concomitans, qualis bonitas potest etiam inveniri in actu exteriori, et sic communis est tam actui interiori, quam exteriori, ut quod actus fiat cum tali duratione, intensione, aut remissione, hoc enim pertinet ad exercitium operandi tam in actu interiori, quam exteriori, nec est proprium actus interioris, ut interior, et imperans est.

X. Et notanter dico, bonitas vel malitia ex ipso exercitio actus proveniens: nam bene potest actus interior respicere pro fine, et objecto non solum rem aliquam assequendam, vel operationem exercendam, sed etiam circumstantiam ejus, sicut si aliquis intendit orare in loco sacro, vel orare per duas horas, aut furari, vel adulterari tali die, vel in tali loco. Et tunc circumstantiæ illæ non sunt circumstantiæ actus interioris, sed actus exterioris, verbi gratia orationis, furti, adulterii, et sunt volitæ, seu intentæ sicut actio ipsa exterior, et ita sicut finis, seu objectum interioris actus est facere

ipsum opus externum, sic circumstantiæ quibus illud faciendum est sunt pars rei volitæ ab actu interiori. Sed nos loquimur de illis circumstantiis quibus actus interior exercetur, scilicet de ipsa duratione, intensione, aut modo, quo ipsemet actus interior exercetur.

XI. Dicimus ergo sensum D. Thomæ esse valde formalem, bonitas actus interioris in eo in quo interior est, seu in quantum interior a solo objecto dependet, seu a re intenta. Cum hoc tamen compatitur actum interiorem posse habere aliquam bonitatem, vel malitiam ex circumstantiis, quibus exercetur non ut formaliter est actus interior, sed in quantum actus quidam libere factus, et in eo quod sibi, et actui exteriori commune est, videlicet quia hoc ipso, quod actus aliquis libere fit ex ipso exercitio trahit necessario circumstantias aliquas ad rationem spectantes, ut quod fiat actus tali duratione, tali intensione, vel remissione, a tali persona, etc. a quibus non potest præscindere etiam actus interior dum exercetur. Hæc secunda pars nota est ex allatis exemplis in ratione dubitandi, et ex ipsa ratione insinuata, quia exercitium ipsum actus interioris sine talibus accidentibus, seu circumstantiis nequit fieri, sicut actus ille fit ab aliqua persona in aliquo loco, in aliquo tempore, tali conatu, et intensione, talibus instrumentis, etc. Et non potest dici tales circumstantias esse volitas ut objectum cum sint exercitium ipsius actus, non ejus objectum, nec actus ille super se reflectat.

XII. Prima vero pars ex ipsa natura, et formalitate actus interioris, ut interior est desumitur, ut desumpsit D. Thomas, quia actus interior vocatur actus in suo genere primus reliquis imperans, et circa finem se habet, sicut intentio. Id ergo per se

formaliter pertinet ad rationem interioris actus, ut interior est, quod facit aliquid esse intentum, esse aliorum finem, esse imperativum, aut directivum aliorum, eisque communicabilem participative ut inferioribus. Nihil autem tale pertinet ad circumstantias ut circumstantes, sed ad finem, seu objectum quod potest esse intentum. Et ita si ipsæ circumstantiæ intentæ sint, etiam pertinebunt ad actum interiorem per se ut interior est, et tunc erunt objectum illius. Cæterum quod solum circumstat in exercitio talem actum interiorem, et non est ejus objectum, neque ab ipso intentum, non conducit per se ad illum interiorum actum, ut præcipue interior est, licet ibi inveniatur, illumque concomitetur. Quia circumstantiæ quibus exercetur ille actus interior, licet ejus exercitium concomitentur, quatenus fit in executione, non tamen ipsum finalizantem constituunt neque imperantem aliis, quod est esse actum interiorum et primum; hoc autem constituit in eo id quod se habet ut objectum, seu res intenta, ex eo enim tamquam ex fine, et per se movente reliquos movet, et in eos influit; ergo ab illo solum, et non a circumstantiis, quæ se habent per accidens pendet bonitas actus interioris ut interior est.

XIII. Dices: Hac ratione etiam dicere possumus, quod actus exterior per se dependet solum ab objecto, et non a circumstantiis, si quidem a solo objecto habet id quod per se, et essentialiter conducit ad talem actum exteriorum, id est, specificationem, et essentialitatem suam; circumstantiæ vero solum concomitanter, et per accidens se habent ad ipsum, quia circumstantiæ supponunt actum exteriorum etiam in ratione propria, et essentiali interioris constitutum.

XIV. Respondetur negando ante-

cedens, quia potius actus exterior ex eo præcipue quod exterior est, et imperatus, seu supponens alium priorem a quo movetur, seu imperatur, exire debet circumstantiatus fine prioris, et interioris actus. Licet ergo specificetur ab objecto, tamen non ab eo solum dependet, sed specificatur ab objecto, ut subordinato ipsi fini, et dependenti ab illo; actus vero interior cum circa finem versetur tamquam circa objectum, ita unice respicit illum, quod ex ratione interioris actus ut interioris, et ut contraponitur exteriori a nullo alio dependet, neque alteri subordinatur ut moventi, vel ut circumstantiæ, quia quod per se, et formaliter interiorum actum constituit, est id quod tamquam finis se habet ut reliqua moveat, non quod ut motum, et imperatum, ab alio est. Quare licet actus exterior in sua specifica constitutione a solo objecto dependeat, tamen ex ipsa vi, et formalitate exterioris actus quatenus exterior est exigit istamet specificationem, et moralitatem objecti ab aliqua circumstantia dependentem, et derivatam, scilicet a fine, et ab actu intentionis, qui dicitur interior, per comparisonem ad quem iste alius actus dicitur exterior: et præterea exterior actus admittit alias circumstantias ex ipso exercitio provenientes; sed tamen illam principalem, quæ est ex fine actus exterior per se, et ab intrinseco exigit ex ipsa ratione exterioris, eam vero actus interior rejicit in quantum interior et primus, quia sic non supponit priorem finem a quo moveatur, sed ipse habet pro objecto finem, quo cæteros moveat. Si quas vero circumstantias habet ex ipso exercitio actus, istæ non conveniunt illi ex ipsa formalitate actus interioris ut interior est, sicut exteriori convenit aliquam habere ex eo quod exterior est; sed conveniunt illi ex ipso ex-

exercitio actionis, et operationis communi tam exteriori, quam interiori actui, imo et omnibus operationibus etiam non moralibus.

XV. Unde ad difficultates a principio motas contra conclusionem D. Thomæ constat ex dictis; concedimus enim illas circumstantias inveniri posse in actu interiori non solum ut volitas, et exequendas per actum exteriorem, sed etiam ut concomitantes ipsum exercitium, et elicentiam interioris actus, non tamen ut conducentes, aut pertinentes ad ipsum actum interiorem quatenus interior est, nec per se ab ipso postulatas ex eo quod sit actus interior, sicuti aliquæ postulatur, et conveniunt actui exteriori ex eo quod exterior actus est, hanc enim contrapositionem intendit facere D. Thomas inter utrumque actum interiorum, et exteriorum in eo præcise quod interior, et exterior est.

XVI. Quod attinet ad instantias factas secundo loco, non sunt contra nos, quia admittimus D. Thomam intelligere nomine actus interioris actum circa finem, et imperantem, non imperatum.

XVII. Ad tertiam instantiam contra discursum D. Thomæ respondetur illo discursu probare optime D. Thomam, quod in primum in quolibet genere in eo in quo primum esse simplicius cæteris, et solum continere id quod est per se in tali genere, non quod per accidens: et sic etiam probat actum interiorum voluntatis, seu primum in quantum primum, et interior formaliter solum reduci ad id quod est unum, et simplicius, et per se in tali genere, ideoque in quantum tale solum dependere ab objecto, quod est principium per se bonitatis, et malitiæ, non ab eo quod accidentale, et extrinsecum est. Non tamen negat posse alias ei convenire circumstantias et accidentia in eo in quo

talis actus non consideratur ut interior, et primus, sed secundum id quod omni actui in suo exercitio commune est, sive interior, sive exterior actus sit, quia nullum exercitium sine aliquo accidenti fit, saltem durationis, intensionis, vel remissionis loci, etc.

QUID SIT DEPENDERE BONITATEM ACTUS A RATIONE, A LEGE, A VOLUNTATE DEI, AB INTENTIONE RECTA?

XVIII. Rationem esse regulam voluntatis in confesso est apud omnes, quia tunc voluntas est bona, et mensurata, quando vivit secundum rationem. Sed non facile explicatur quid nomine rationis intelligatur, et quo modo illa sit mensura voluntatis. Nam si nomine rationis intelligitur ipsa potentia quæ est ratio, ista potest proponere voluntati, et bene et male, sicut etiam ipsa voluntas potest operari, et bene et male; ergo sicut voluntas non est regula sui, ita nec ratio.

XIX. Quod si dicatur rationem non solum ut proponentem, seu manifestantem objectum esse regulam voluntatis, sed ut mesurantem, nam ut præcise proponens, et manifestans solum est conditio requisita ut bonum moveat, potestque movere bene vel male, ad bonum vel ad malum; non est autem regula, et mensura, quod solum se habet ut conditio.

XX. Contra hoc fit instantia; tum, quia D. Thomas solum probavit in articulo secundo, quæst. xix dependere bonitatem actus voluntatis a ratione, quia ratio se habet ut proponens objectum voluntati, et quia dependet bonitas ab objecto, consequenter dependet a proponente, quod est ratio; ubi sanctus doctor non meminit alterius officii quam

proponentis, ex quo non potest inferri, quod sit mensurans, et regulans cum proponere sit solum conditio ex parte objecti propositi, et apprehensi ut moveat, et similiter sit indifferens ad proponere bene vel male, ad bonum vel ad malum, et sic ex se præcise non est mensura, et regula boni. Tum, quia restat semper explicare, quid sit ratio ut regulans et mensurans ultra hoc quod est esse rationem proponentem. Nam si hoc quod est proponere, et manifestare objectum potest esse bene vel male, et hoc quod est regulare, et mensurare voluntatem solum potest esse bene, quid addit hoc quod est mensurare supra hoc quod est proponere?

XXI. Valde difficile explicatur quid sit hoc. Nam communiter dicitur, quod ipsa ratio non est mensura ipsa, sed objectum quod proponitur per rationem est mensura, scilicet ipsum bonum. Et in hoc ipso est difficultas, quando est bonum objectum, et quando non: nam etiam ipsum objectum indiget aliquando mensurari, et moderationem debet habere, quia indifferens esse potest, et hæc mensuratio objecti debet esse per rationem, quia est conforme rationi, et sic committimus circulum, dicimus quod objectum bonum est, quod est conforme rationi: et bona ratio est, quæ habet bonum objectum.

XXII. Si dicatur ipsam legem Dei esse regulam qua ratio mensurat, et ratio, ut proponens legem istam est ratio mensurans contra est, quia aliquando proponit ratio contra legem ex errore invincibili, ut Jacob in accessu ad Liam, et tamen actus est bonus; ergo alia mensura hujus bonitatis datur præter ipsam legem. E contra etiam potest actus esse conformis legi, et tamen ex conscientia erronea esse pravus, ut si quis accedit ad suam cum conscientia

erronea quod non est sua, peccat, licet in re conformetur legi. Ergo non dicitur ratio mensurans, et regulans ex eo quod proponat legem, vel non proponat. Si vero dicatur rationem dici rectam, et regulantem ex eo quod proponit objectum conforme appetitui recto, ut Aristoteles affirmat vi ethicorum, cap. ii, et sæpe id repetit S. Thomas præsertim infra quæst. lvii, art. v ad tertium, et quæst. lxiv, art. iii contra est, quia ex hoc sequitur manifestus circulus; dicitur enim ratio recta, seu regulativa per ordinem ad appetitum rectum, et appetitus, seu voluntas dicitur recta per ordinem ad rationem. Quod non solum currit respectu voluntatis electivæ, sed etiam respectu intentivæ. Nam de ista intentione inquiram, unde sumit rectitudinem? Et dicitur quod a ratione cui conformatur. Rursum restat inquirendum de ipsa ratione quare dicatur recta, et mensurativa dictæ intentionis? Et non invenietur, nisi ratione conformitatis ejus ad appetitum, seu voluntatem rectam, quod est circulum committere.

XXIII. Denique urget hic illud argumentum, quia sæpe ratio est falsa, et tamen mensurat, et regulat actum bonum, ut quando proceditur cum ignorantia invincibili, et actus bonus est; ergo voluntas non respicit rationem ut regulam, quia ratio falsa, quomodo potest esse regula bona?

XXIV. Nihilominus certa est doctrina a D. Thoma tradita, et optime a D. Thoma probatur in hoc articulo ii, quæst. xix, ubi ostendit bonitatem in actu voluntatis dependere a ratione, non ex eo præcise quod proponit, seu manifestat objectum, sed quia proponit objectum proportionatum ei, sicut enim bonum sensibile non est proportionatum voluntati, sed appetitui sensitivo, ni-